

I. N. J.
DISSERTATIO PHTSIOLOGICA,
De
TERRA,

Quam,
Auxilio S. S. Triadis,
Approbante Ampliſſ. Philoſophorum,
In Regio ad Auram, Muſarum Palladio,
corona;

SUB PRÆSIDIO
Praclariffimi Viri,

MAG. SIMONIS TAPPI
In diſta illuſtri ac inſulyta Academia,
Philoſophiæ primæ & Rationalis Prof. Publ.
celeberrimi, Præceptoris ſui omni honoris
cultu ætatè proſequendi;

*Publico examini & candida placidaq. erudito-
rum cenſura, liberalis exercitii & excolen-
di ingenii ergo, ſubmiſſit,*

Sacræ Regiæ Majeſtatis Alumnus
NICOLAUS A. RHYDELIUS,
W-Gothus.

Add. 27 Junii in Audit. Maj. horis antemerid.
conſuetis, Anno M. DC. LXXXII.

ABOÆ.

Exc. à JOH. L. WALLIO, A. T.

*Joh. Handlmann, Welfenſter
Rath & Hofrath*

Admodum Reverendo, Reverendis, Venerabilibus, Humaniss. ac Spectatiss. Dominis:

DN. M. PETRO LAURENTINO,
Ecclesiæ, quæ Christo in celeberrima
Urbe Scarense adseritur, Pastori & Ar-
chipræposito longè digniss. Mecænati
ac promotori ut benigniss. ita ma-
gniparentis loco submissâ animi re-
verentiâ æternùm devenerando;

DN. MICHAELI RIDDELIO,
Past. Lenensium meritiss. fautori ac
Promotori certissimo, ideoq; summo
observatiæ cultu jugiter prosequendo;

DN. ANDRÆ E. RHYDENSIUM
Past. vigilantissimo, Parenti suo omni
filiali venerationis pietate ad cines-
res usque prosequendo;

DN. LAURENTIO SIDHELIO, Past.
in Reswene fidelis. mihi affinitatis jure
adstricto, fautori & amico honoratis.

DN. GUNNARO RHYDELIO,
V. D. in Paræzia Rhydensi Præconi
perindustrio, fratri germano multùm
honorando;

**DN. TORERO Lehnbârg/ Symmy-
stæ in Lehna perindustrio, mihi inte-
grâ amicitia addictissimo.**



Er plurimis de causis iis-
demq; maximè prægnan-
tibus inductus, adm. Rev.
Patrone, Rev. D. Past. char.
Parens Vosq; reliqui bene-
factores honoratis, dissertationem hanc
disputatorio comittere certamini eaq;
Vobis, quibus arctissimis multorum be-
neficiorum vinculis devinctus sum, ve-
luti primos in literarum studiis progres-
sum meorum, licet modicos fructus &
quasi agelli cujusdam primitias, conse-
crare & inscribere decrevi. Nullis sanè
potiori jure hunc ingenioli mei qualem-
cunq; foetum offerre debui ac Vobis, ut
sic paucarum harum pagellarum dedi-
catione aliquale meæ in Vos gratæ men-
tis, promptæ pietatis & sempiternæ ve-
nerationis symbolum extaret, cum ve-
luti in tabula, immensam illam in me-
dio universi pendentem terræ molem
depingerem. Causa quâ impulsus hanc
mibi elegerim materiam, hæc fuit: Ne
illud Plinii Lib. 2. Nat. Hist. cap. 63. in
me jure quadrare videretur: *Inter crimi-
na ingrati animi, & hoc duxerim, quod na-*

suram Terra ignoramus. Præclarissimum, sanè dictum & notatu dignissimum. Omnes n. in terra quidem vivimus, ex terrâ vitæ continuandæ præsidia quarimus, sed quid terra ejusque natura sit prorsus ignoramus. Hinc igitur possumus cognoscere unde venimus, aut quò vadimus, quid sumus, vel unde sumus, & ita pervenire ad materiæ nostræ cognitionem, ex quâ elegantissima totius corporis nostri structura constat. Accipite igitur hocce qualecunq; exercitium Academicum & vultibus quidem benignis & serenis aspiciate, nec tam è tenuitate oblatis quam devotione offerentis metimini; Ego rursus debita obsequia & pia vota pro omnium vestrorum incolumi felicitate & felici incolumitate sanctè spondeo & promitto. Interea paneraticè & feliciter in annos benè multos vivite! florete! & valete! sic precatur ex intimis animi sui recessibus

*Dab. Aboæ 14
Jun. A. 1682.*

*Adm. Rev. ArchiPræposito,
Reverendo Dn. Pastori,
Charissimo Dn. Patri*

Reliquis, Dnn. Benefactoribus

Submissa animi veneratione addictissimus.

AUTHOR & RESPONDENS.



ΣΥΝ ΘΕΩ

ΠΡΟΟΪΜΙΟΝ.


Prima, summi illius rerum humanarum arbitri Dei, scriptura titulos jure meritoque venit, mirabilis hac pariter ac delectabilis mundi machina; quippe qua paulò accuratiori mentis scrutinio spectata, Conditoris, qui cuncta, quae eam replent, ex nihilo mirabiliter produxit, bonitatis, potentiae, simulac Divinitatis praecleara mortalibus argumenta proponit, grataque spectacula offert, adeò ut non possit non animus percelli, & rapi quasi in admirationem ac celebrationem Creatoris. Ut jam de vasto caeli corpore, Solis & Luna (quorum contemplatorem natum se esse Anaxagoras jaecitavit) circuitu, siderum lucentium ordine, quae mortales ad sui contemplationem mirificè excitant, voceque tubà clariore invi-

bant; vel de amplo isto ventorum regno nihil
dicam. In Terra penes nos multa & ma-
gna, admiranda satis, spectatu quoque maxime
digna sunt, in quibus vel palpando, fatente
Apostolo Act. 17: 27. Deum invenire licet;
presentem enim Deum qualibet herba refert.
Idem fateri necessum habuerunt ipsi quoque
gentiles, dum omnia Deorum plena esse dice-
runt. Cavernas Terra rimantes, inq; viscera
ejus penetrantes, quot quaso ibi Thesauris?
quot auri argentique venis? quot admiran-
dis mineralium ac metallorum purissimorum
speciebus? quanto gemmarum limpidissima-
rum splendore? quantâ lapidum nitidissimo-
rum, aliarumque rerum pretiosarum varie-
tatis ubertate delectamur? Faciem ejus si
aspiciamus, vestigia nobis & illa sapientia,
potentia, bonitatisque divina commensurat
haud obscura. Hic ardui montes, depressa
valles, acclivi colles, plani campi, horumq; sin-
gula ornamentis quae cernimus esse haud desti-
tuta suis, deprehenduntur. Alibi enim corpus
Terra arborum serie vestitur, alibi herba-
rum, frugum, florum aliarumq; rerum latissi-
mâ copiâ beatum atque exornatum est celebra-
rimum,

rima, imò vel in extremis montium recessibus herbas nasci calidissimas præclare testatur Sperlingius. Cum jam ad contemplandum pulchros hosce natura factus nati simus (teste Hermete illo Trismegisto, sic scribente:) Homo brutis & mundo ratione & mente antecellit. Spectator enim operum Dei factus est homo & admiratus est ea, & cognovit creatorem; brutisque hac in parte longè præstamus, utpote qua rerum duntaxat suavissimarum contemplatione nuda delectari cernimus; nos vero oculis non tantum obvia spectare, sed & secretiorum natura munerum cognitionem assequi qualemcunque valemus. Idcirco ne vitam, veluti ista, silentio transigamus, neve vani ac otiosi universi hujus spectatores videamur, operam quam possumus unquam, navabimus maximam, ut intellectum nostrum, per funestum illum & nunquam satis deplorandum Mali morsum, inscitia rubigine obscuratum, cognitione rerum necessariarum præstantissimarumq; imbueamus. Hoc scientia naturali vacantibus feliciter satis contingere antumo, cujus quantitas sit utilitas, quanta jucunditas, quanta

denique necessitas, vel iis facile constat, qui primis eam labris degustarunt. In quibus cum nomen etiam profiteri meum, jucundissimumque pariter ac amplissimum Scientia huius palatium illustrare cœperim, incredibilem sui amorem Terra, cœmunis omnium Mater, multis suavissimæ fragrantia plantis, herbis flosculisque undiquaque vestita, animo instillavit meo, adèo ut non potui non amœnissimum ejus viretum ingredi, ejusque essentiam, & quæ eam insequuntur affectiones, rudi Disputationis penicillo succinctè depingere. Ausibus igitur hisce ut B. L. benignâ interpretatione faveat, quodque valetudinis incommodo & temporis angustia detractum sit, solitâ suâ æquanimitate suppleat, est quod illum obnixè majoremque in modum rogem.

THRS.



THESES. I.

IN frontispicio cujuscunque accuratæ Dissertationis tangi ut plurimum consuevit Evolutio nominis, ne fortè ejusdem ambiguitate quispiam in dubium adducatur, aut in errorũ devia præceps abripiatur. Hanc igitur consuetudinem imitatus, Onomatologiam vocis Terræ, Derivatione scilicet Æquivocatione & Synonymiâ absolvendam primum aggrediar, idque breviter, Quæstionemque An sit, quasi minus hic necessaria, consultò omisã. Ubi 3. veniunt expendenda: Etymologia scilicet Homonymia & Synonymia.

THESES. II.

Terra ratione Etymi, aliis à *RAATZ* quassavit, concussit: Aliis *RUTZ* currere, excurrere, vel à concursu animalium circa Terram, & motu aquarũ circa ejusdem superficiem, vel quod ipsa excurrat & extendatur, veluti planities quædam, reliquis à teritudine, seu rotunditate, vel à terendo, quod animalium pedibus teratur & calcetur, juxta Tritum illud: Terrâ es, terram es, terram teris, terram geris, & in terram reverteris. Hinc præcis

temporibus, non uti nostra memoria; Terra per dupl. sed per simpl. R. scribebatur. Harum notationum nullam licet absolutè rejiciendam arbitremur, cum nihil à quidditate Terræ alienum importare videantur, postremam tamen; tanquam quæ non saltem veritati consona videtur, sed etiam quia naturam rei & indolem satis perspicuè indigitat, maximè approbatam apponimus. Hæc derivatio confirmari etiam videtur Lingvâ Sanctâ, quâ Terra *éretz* audit, quam Lexicographorum nonnulli à *Ratzatz* terendo deductam contendunt, memoratâ modò ratione ducti. Tantumque de Etymologia, quam excipit,

THES. III.

Homonymia. Vocem Terræ variis usq; maximè obscuris diversarum acceptionum labyrinthis obnoxiam esse S. Script. pariterq; profanæ monumenta attentius pervolventi *ὀφθαλμοφανέρως* patet. Accipitur enim 1. Pro regione aliqua in sensu particulari seu abstractivo considerata. 2. Per Meton: subjecti pro Adjuncto. Gen. 6: 11. Corrupta est autem terra, id est valdè depravati erant tunc qui terræ faciem incolebant. 3. Per Metonymiam materiæ pro materiato, homine scilicet ex Terrâ creato. Gen. 3: 19. 4. Pro gaudio sanctorum in futura vita Esai. 65: 17.

& 66: 22. 2. Pet. 3: 13. 5. Pro toto globo Terraqueo Esai. 40: 22. 6. Pro simplici & pura Terra, Gen. 1: 10. quam significationem nostro instituto maximè consonam agnoscimus, quatenus videlicet certum quoddam designat Elementum à reliquis separatim consideratū. Sublatā sic qualicunque errorum genetrice, pergamus ad

THE S. IV.

Synonymiam. Paucis hanc rem comprehendendo, dicimus Terram variis insigniri appellationum titulis: Soli, videlicet, humi, telluris, aridæ, siccæ, &c. hinc etiam κατ' ἐξέχην ei eximia propter merita cognomen maternæ venerationis indiderunt veteres, quippe illa tanquam genetrix nascentes nos excipit, natos alit & fovet, & tandem ex foeda hac, & plus quam luctuosa dolorum æstuantium congerie, turbulentissimisque laborum molestiis ad quietem quasi secessuros, sinu suo dulciter complectitur & operit. Appellatur etiam bona, fortè non alia prorsus de causa, quàm quod hæc benigna, mitis & indulgens rerum omnium ad vitam necessariò pertinentium parens atque procreatrix sit.

THE S. V.

Explicatā sic quantum ingenio nostro adsequi licuit, vocis Terræ Onomatologia,

im-

immediatè statim, κατὰ τὸ εἶχειν ipsam πραγμα-
 γματολογίαν, sive definitionem realem e-
 jusque enucleationem, quæ rem ipsam ut in
 se est, explicat, adjungimus. Est enim λόγος
 τῆς ἑσίας, πρὸς ἀρχὴν ἀποδείξεως. Inte-
 rim tamen scite hic conducit. Terram pro-
 duplici suo munere, quod in hoc universo
 obit, duplicem requirere considerationem, ab-
 solutam scilicet & respectivam. Respectu pri-
 oris considerata, omnem prorsus aliorum
 corporum utpote ignis, aquæ, aëris admisti-
 onem respuit, & in se suaque natura pu-
 rum & simplex corpus est. Respectu vero po-
 sterioris, materiam mistorum exhibet, sive
 essentiam eorum passivam constituit, & sic pu-
 rum Elementū ratione ὑπάρξεως dici nequit.

THESES: VI.

Differentia specifica, ob maximam intel-
 lectus nostri cæcitatem, latente, exacta Terræ
 dari definitio nequit, per attributa igitur ejus
 eam hunc in modum describimus: Terra est
 Elementū crassissimum, firmissimum, & gra-
 vissimum, frigidum & siccum, à Deo in prin-
 cipio creatum, inq; medio universi locatum,
 quiescens.

THESES: VII.

Hanc Descriptionem pro Definitione suo
 modo perfecta haberi posse, probatum imus
 hoc

hoc argumento: Omnis Definitio genere proximo & adæquato, Differentiaq; ab Adjunctis & effectis propriis petita constans, pro perfecta habenda est. Atque hæc talis est, E. Quod connexionem Majoris concernit, sat sufficienter illam M. Jacobus Flachsenius, uti hætenus rerum philosophicarum acutissimus, ita nunc cœlestium Oraculorum Excellentissimus Interpretes in Coll: suo Log. pag: 595 statuminat, Differentiam inquiring in Definiendis substantiis corporeis desumi, vel 1. à forma, & has quidem definitiones esse perfectissimas. Vel 2. Ignotâ forma, ab adjunctis & effectis propriis, cujusmodi definitiones etiam pro perfectis habendas esse asserit. Minor sua luce radiat. Generis namq; locum in data definitione subit Elementum, quod dicit convenientiam rei cum reliquis subjectis suis speciebus, seque ad illas univocè habet. Terra enim est corpus naturale simplex, homogœneum, sub cœlo contentum, ad universi integritatem, mistorumq; constitutionem à Deo factum.

THESES: VIII.

Differentiæ vices sustinent hic Adjuncta & effecta propria, itemque locus. Suntque illa: summa crassities, summa gravitas, summaq; firmitas, nec non remissa frigiditas ac remissa siccitas. Illorum enim Terra subjectum

πρῶτον δεκτικόν est, huic enim Elemento primò insunt; Horum vero subjectum κοινόν, nam hæcce reliquis etiam sunt communia. De hisce, ut & de ipsius Terræ situ infra paulò fufius σὺν Θεῷ differemus.

THESES. IX.

Causam efficientem silentii peplo involve-
re nefas esse duximus, nam scelus est, dicen-
te Excell: Sperlingio, de creaturis agere &
opificem omittere. Hanc præpotentem,
rerum Creatorem ac omnium Moderatorem
Deum esse, qui provida sua voluntate omnia
ac singula in mortalium utilitatem clementèr
condidit; satis superque evincit pagina Sacra
Gen: 1:1. Ps. 134: 3. Plura rationum mo-
menta pro causa efficiente adferre superva-
caneum esse ducimus, quippe nemini Chri-
stianorum sub ancipiti hæret, Deum ejusdem
conditorem esse.

THESES. X.

Cum Terra corpus naturale sit, & omne
corpus naturale materia & forma constet,
utique etiam & illa. Materia itaque gau-
det purè simplici, principio scilicet illo pas-
sivo simplici, immediate, ex nihilo purè ne-
gativo primitus producto. Hanc ejus simplici-
tatem non i. ex motu simplici, secundū opi-
nionem Aristotelis, hac enim ratione lapis,
qui

qui motu gaudet simplici, corpus etiam simplex dicendus esset; ast motus simplex solius simplicitatis comes non est, neque hic Terræ naturaliter competit, ut infra dicitur, proinde hoc Aristotelis Argumentum elumbe est. Neque 2. ex loco, is enim corpus naturale extrinsecus afficit. Nec 3. ex Forma, utpote quæ simplicitatis & compositionis Mater non est. Sed 4. Ex sola materia, qua primò conflata est. Hæc enim ubi simplex, ibi simplex corpus, ubi composita, compositum. Simplex igitur respectu corporum mixtorum definitur, quatenus nimirum omnis mixtionis expertus est.

THESES: XI.

Efficiente & materia Terræ sic breviter pro ratione instituti declaratis, ordo monet de forma & fine ut agamus, & imprimis quidem de forma, cujus licet exactam in hac naturæ imbecillitate non habeamus notitiam, ac proinde perfecte ac sufficienter satis enodare eam non valeamus, quia nulla forma substantialis per se sub sensuum judicia cadit, nihilominus tamen eam propria sua forma gaudere certum est, ex qua operationes & affectiones ebulliunt & resultant. Verum quænam illa sit, non levia inter sese Philos; veteres movent litigia, quorum quidam qualitates primas formas Elementorum substantiales esse, assertere non dubitarunt; sed cum forma specifi-

ea per se & ratione suæ essentiaë considerata semper sit substantia, nunquam vero accidens, sententiam hanc veluti a veritate prorsus alienam, auctoribus suis relinquentes; Thesi sequenti absurda hinc resultantia ostendemus, nostramq; deinde mentem aperiemus.

THESES: XII.

Terræ præter qualitates, formam aliam substantialem, quâ informatur competere, conamur probare hisce rationibus suffulti: Superius innuimus: Omne corpus naturale materia & forma constare oportere, Atqui Terra tale quid est, E. Præterea cui competunt operationes, affectiones & qualitates, ei etiam formam (ex quo principio activo eadem fluunt) competere necessum est, Atqui Terræ tales competere constat, ut etiam ex sequentibus patebit, E. utraque præmissarum luce sua radiat. Qualitates igitur primæ, quocunque modo consideratæ forma elementi substantialis esse nequeunt, cum illæ sensu percipiuntur, magis & minus recipiant & sibi invicem contrariantur, quod accidentium est, & non substantiarum, quorum mille essentialiter vix unum quidem corpus constituere possunt. Item cum qualitates in mixtis sint accidentia, Elementorû substantiaë esse nequeunt. Relinquitur igitur, quod præter qualitates Terra propria gaudeat forma,

forma seu actu quodâ specifico essentiam Terræ una cum materia intrinsecè constituyente, quæ prima affectionû & effectuum est causa. Hinc igitur Formam per propria nonnulla accidentia nobis cognitu faciliora, hunc in modum describere possumus, quod sit principium causale internum materiæ Terræ contradistinctum, per quod Terra est quod est, ab aliis Elementis *θευσις* & *πρωτος* distinguitur, & operationes suas obtinet. Proinde Formam Terræ denegare, quoniam ignoratur, non licet, à nostra enim non advertentia ad ipsius rei negationem non procedit argumentatio.

THE S. XIII.

Evidentiâ jam firmiterque demonstratâ Terræ Formâ substantiali, differendum porrò est de fine seu alterâ causâ externâ. Finem Terræ duplicem non incommodè statuimus, Primarium vid. seu ultimum, & secundarium seu intermedium; Et hunc iterum dispescimus in generalem seu communem, & specialem seu proprium: Primarius est gloria Dei, Prov. 16; 4. Secundarius seu communis est, ut unâ cum cœlo cæterisq; Elementis totius universi fabricam integret ac compleat, & materiam mistis præbeat. Finis v. proprius est, ut sit subjectum suarum proprietatum, crassitie videl: siccitatis ac

frigiditatis &c. nec non sedes & domicilium mineralium, metallorum, plantarum, animalium, & omnium rerum subcœlestium. Tantum de causis Terræ tam κατ' ἑσω quā κατ' ἔξω consideratis, nunc ejus affectiones paucis lineis depingendas proponimus.

THESES. XIV.

Primam Terræ affectionem statuimus crassitiem, quæ huic Elemento in summo gradu per propriam naturam primò inest; hæc enim sola cedere nescit, fortissimaque roborâ, inquit Sperlingius, sustentat. Maximam Terræ crassitiem vel ex ipsis ejusdem atomis colligete licet, quæ reliquorum Elementorum Atomis admistæ, semper existunt crassiores. Crassa quidem est aqua, verum respectivè, ut enim aëre illa crassior, ita Terra rarior ac subtilior est. In re omnibus plana non est quod simus prolixiores.

THESES. XV.

Hinc sequitur Terram maximè etiam firmam esse, quod & conditio fulcri requirit. Hæc enim est cujus facies tot urbium, arcium, castellorum, pagorum, ædium, mœnium, Turrium, montium, sylvarum & omnium denique animalium ferorum cicuratorumq; molibus premitur. Hæc inquam profundissimæ

diſſimæ vaſtitaſis maria, lacus, amnes, flumina lymphis jucundè ſtrepentibus manantia complectitur. Hic recto ſtant taloſa ventia cuncta, vaſtiſſima cum minutiffimis, aut moventur aut quieſcunt.

THE S. XVI.

Nunc tertia affectio, gravitas ſcilicet conſiderandam ſeſe nobis ſiſtit. Summam gravitatem, Terræ per ſe ineſſe ex ſequenti hoc noſtro ratiocinio liquidò conſtat: Quidquid ſimpliciter deorſum & ad medium univerſi naturali inclinatione fertur, illud ſimpliciter grave eſt. Atqui Terra hoc facit, E. Connexio Majoris inclareſcit exinde, quia gravitas deſcenſionis cauſa eſt. Minorem conſtat ipſa rerum Magiſtra experientia. Ipſorum enim ſenſuum judicio percipimus nullum corpus naturalitèr tendere deorſum gravitatis expertus, ſicut nec ſuſum quidquam levitatis. Summæ gravitatis Terræ haud leve documentum ſunt particulæ ejusdem in altum violenter projectæ, quas omnes & ſingulas deorſum per principium illud movens è loco ſuperiore & violento, ad locum inferiorem, ſibi à natura deſtinatum recidere cernimus. Summa verò Terræ gravitas, patet etiam ex partibus homogeneis, quæ in aquam immiſſæ, nec in ſuperficie, nec in medietate fluxum ſuum ſiſtunt, ſed proprio pondere, quo

aqua gaudet longè graviori fundum petunt,
& ad medium seu centrum tendunt, nam hoc
iis naturale, est infimum semper occupare lo-
cum, ibique quiescere.

THESES: XVII.

Succedit frigiditas, quæ est affectio Terræ,
quæ dicitur frigida. Hæc etiam Terram gau-
dere vel ex ipsis montibus sive lapidibus col-
ligi potest, quos frigiditatem suam, quam
habent, non tam aquæ, de qua parum, quam
Terræ de qua plurimum participant, debere,
manifestum evadit. Aquam nihilo tamen
minus πρώτως, Terram vero δευτέρως frigi-
dam esse non est quod dubitemus. Sensus pro-
inde dimittere in iis, & rationem illorum
quæerere, quorum naturam beneficio sensuum
uti venari ita perscrutari licet ἀρρώστια τῆς
Διαφορίας ἔστ. In Physica enim cognitio
& à rebus, quæ sub sensuum judicia ca-
dunt proficiscitur, & ad easdem reciproca
vicissitudine redit & ibidem terminatur.

THESES: XVIII.

Siccam insuper Terram esse pater, quia
suis facilè continetur terminis, & difficulter
alienis, hoc est non diffuit facilè sicuti hu-
midum, verum rebus humidis dat consisten-
tiam, & refrænât fluxibilitatem humoris in-
missione, adeoque indurat firmatque. Pro-
pter

pter siccitatem suam, Aridæ etiam nomine venit Gen: 1: 10. Ps: 95: 5. Hic interim hoc notatu dignum censemus, quod Elementum hocce humores in mixtione non absumat, nec expellat (hoc enim ignis atque calor est) sed imbibit, continet atque condensat, compositumq; figuræ recipiendæ accommodat aptumq; reddit. Iis igitur non ad stipulamur, qui summam Terræ quoad gradum, Igni vero quoad operationem adscribere non verentur siccitatem, quippe, cui prima siccitatis Actio primò & per se non competit, et siccitas primò & per se inesse non potest. Atqui prima siccitatis actio, exsiccatio scilicet, quæ teste Sperlingio prima siccitatis actio est, Terræ primò & per se non competit, E. Major per se satis clara est. Minor exinde statuminatur, quia prærogativa siccitatis, potiori jure igni tribui potest, quam Terræ, utpote qui exsiccatur, demonstrante id rerum sensu, & quotidiana experientia. Plenior sententiæ nostræ explicationem, jam nunc prolixitatis evitandæ ergò, hinc sequatam, in ipso disputationis conflictu nos adhibituos promittimus.

THESES XIX.

Licet nec priscis temporibus defuerint, nec etiamnum hoc nostro tempore desint, qui Terræ figuram Sphæricam denegent, nihil-

ominus tamen contrariū nobis validiora jam
nunc subsequētia persuadent rationum mo-
menta, quarum prima innititur Authoritati
S.æ S.æ, ita enim Os veritatis loquitur per
Esaïam Cap: 40: 22. Qui sedet super glo-
bum Terræ, id e. Sphæræ, gyrum vel circu-
lum. Item Ps. 9: 9. Act: 17: 31. ubi Terra
orbis dicitur. Secunda ex dierum inæquali
constitutione desumitur; Incolis enim plagæ
orientalis ac occidentalis variè ascendunt ac
descendunt, sidera illis scilicet citius ac prius,
his a. tardius. Tertia ex umbræ terrenicor-
poris figura conodiali; Eclipses enim Luna-
res, in quibus Terra a sole averfa talem cir-
cularem projicit umbram, hanc satis superq;
Terræ rotunditatem evincunt. Hinc ipsæ
Eclipses Lunæ & tardius ab orientalibus,
citius ab occidentalibus conspiciuntur. Ter-
rædenique rotunditatem arguit cœlum con-
tinens, & undiquaq; ambiens circulare. Hisce
sic obiter prælibatis, majoris claritatis ergò
hunc in modum argumentamur: Si Terreni
globi moles Sphæricam & circularem um-
bram ex se projicit, utiq; infallibiliter se-
quitur ipsam etiam Terram Sphæricam esse.
At verum P. E. P. Connexum Majoris nititur
suffragio omnium melioris notæ Philoso-
phorum. Consequētia etiam svadetur Tum
experientia, tum rationibus, nam quale cor-
pus

pus est talem etiam projicit ex se umbram, hæc enim illud sequitur. Nec obstat quod editi montes, profundæ valles, elevati colles, cavæ spelunçæ, plani campi, & hujusmodi alia in Terræ globo deprehendantur, cum hæc collata nullam ad universi globi ambitum habeant proportionem.

THES: XX.

Locum Terra naturalem, in medio universi instar centri occupat, unum cum aquæ globum constituens. Quod autem sita sit in medio mundi, testis est ipse Horizon; quo cælum in duo hemisphæria sive duas medietates dividitur, ita etiam ut signorum Zodiaci 6. ab utraque ejus facie appareant, quorum singula 30. continere gradus unanimis Astronomorum consensus comprobat. Nec non magnitudines & distantia stellarum, quas ubique locorum easdem habemus. Sicutum Terræ intermedium esse ipsum quoque tempus nobis persvader, quod ab ortu in meridiem est ei æquale, quod est à meridie in occasum. Nisi in medio sita esset Terra, æquales dies noctesque haberi non posse deprehenderunt & dioptræ, quæ vel maximè id confirmant, inquit Plin: Lib: II. cap. 69.

THES. XXI.

Perluſtratis hucusq; affectionibus, craſſitie,
 nimirum, firmitate, gravitate &c. &c. mate-
 riis non minus arduis, quam ſcitu neceſſariis,
 tandem ad Terræ Quietem ſeu immobili-
 tatem conſiderandam nos convertemus, inq;
 veras illius cauſas pro ingenii viribus in-
 quiremus, quod ſi punctum non rectè tetigeri-
 mus, facilè nos excuſabit, cum maxima rei
 tractandæ difficultas, tum diverſarum opi-
 nionum de ea perplexitas, tam deniq; ſum-
 ma mentis humanæ infirmitas. Præciſo igitur
 ulteriori verborum ambitu & profluentia,
 omiſſaq; diſſidentium Argumentorum
 recenſione, è veſtigio nos ad noſtram ſenten-
 tiam exprimendam accingimus, quæ cum
 non ſaltem plurimorum haud poſtremi com-
 matis & Theologorum & Philoſophorum ni-
 tatur ſuffragiis, verum etiam ipſarum ſacra-
 rum literarum ſuffulciatur fundamentis, atq;
 ideo reliquis rationum quoq; philoſophorum
 momentis multis antecellit paraſangis, pro-
 pterea probabili eam ratione negari poſſe
 non videmus. Sed ne aliquis rationum mo-
 mentis deſtitutos nos eſſe adſtruat, ea hic tam
 ex Theologorum, quam Philoſophorum mo-
 numentis collecta, breviter ceu in Tabula per-
 ſpicienda ſubjicimus. Primum itaque fun-
 damentum ex ſacra Scriptura 1. Par. 16: 30.
Ipſe

Ipte fundavit orbem immobilem, conf. Ptal.
104:5. 19. 22. Pl. 119:90. Eccl. 1:4. 5. Matt. 5: 45.
Eph. 4: 26. &c. de promimus, hæc enim ora-
cula immobilitatem Terræ clarè contestan-
tur, quibus reclamare impium est. Præterea
motum corpori naturali competentem novi-
mus esse, vel naturalem vel violentum, quo-
rum neutro Terram affici probare conabimur.
Non illo, nam sicut una forma, ita uno
quoque gauderet motu naturali (plures vero
præter naturam contingere posse motus non
inficiamur; Eoq; vel simplici, siquidem sim-
plex corpus simplicem amat motum, & recto,
quo per lineam rectam vel sursum à centro
tenderet): quem motum naturæ Terræ con-
ditio abhorret) vel deorsum ad centrum,
quod nullum esse aliud quam ipsam Terram,
ad quod & à quo ferri, quæcunque motu
recto moventur, præclare asserit Sperlingius;
Vel circularis, quo cieri Terram ipsam negat
experientia: hoc namque si faceret, lapidi in
altum projecto, centrum quo minus ille suum
repeteret, circularis iste motus facilè impedi-
ret. Egregiè propterea D. Hornejus ejus in
C. N. Ph. pag. m 89 fatetur, nullum corpus
ex 4, illis simpl: circularitèr secundum natu-
ram moveri. Sed si ita moveri aliquod eorum
corporum contingat, id præter naturam fie-
ri asserit.

Neque hoc, constat enim nullum violentum esse diuturnum. Nec obstat, quod nonnunquam secundum quasdam sui partes moveatur in Terræ motibus, cum & hic motus violentus est, ut ad quem natura Terræ nihil confert, sed vi effluviū flatuosi ejusdem cavernis præter naturam inclusi, exitumque cum impetu quærentis perficitur. Terram itaque secundum se totam in loco suo proprio naturaliter semper quiescere liquet, cum alio naturaliter ferri nequeat. Dividi quidem vulgò solevit *Quies*, in eam, quæ motum antecedit, & illam, quæ motum sequitur; Verum dari quietem, quam nullus unquam motus antecessit, nullusque unquam secutus est, Cœli sc. & Terræ asserere non dubitat
Exc; sperl; pag. m.376.

THESES: XXII.

Cum Terræ nobis contemplatio magnitudinis etiam ejus mentionem facere ansam præbeat, silentii igitur supparò velare eam non sustinemus, quam absolutam & respectivam esse affirmamus. Secundum illam spectata, sat vastum ejus corpus esse deprehenditur, quoniam maximus Terram ambiens circulus continet grad. 360. quorum singuli æquant 15. mill: germanica, quæ ducta in 360 efficiunt perimetrum 5400. mill. germ. Qui se habet ad Terræ Diametrum
ut

ūt 22. ad 7. Atque sic quantitas Diametri
 erit 1718. milliarium cum duabus undecimis.
 Semidiameter seu profunditas Terræ à su-
 perficie ad centrum est 859. 1-12. Superfi-
 cies igitur convexa erit 92772000 mill. germ.
 Ex his colligitur totius Terræ ambitus mo-
 les 2656371600 test. Calovio. Atque hæc
 de quantitate Terræ cognitione Physico suf-
 ficere possunt, reliqua Geographorum judi-
 cii, ne falcem in alienam messem immittamus
 expendenda relinqvimus. Relativè autem
 considerata, varia cum variis collata corpo-
 ribus est. Respectu aquarum enim majori
 Terram quam illas quantitate pollere ex
 certa Globi Terraquei delineatione, & quà
 trinam dimensionem collatione, satis super-
 que dispalescit, Terram quippe sub mari pro-
 fundissimo latere, partim Sacer codex, par-
 tim experientia per demissam bolidem satis
 perspicuè evincit, quæ maris profunditas
 cum semidiametro Terræ collata, haud ita
 magni momenti est, inquit Sennertus, pag. m.
 235. Cum toto verò hoc universo comparata,
 exigua valdè ejus quantitas est, adeò ut pun-
 ctum saltem Physicum repræsenter.

THESES: XXIII.

Si fusius differere, & ab instituto paulu-
 lum deflectere ac divagari nobis liceret, di-
 ver-

versas Telluris partitiones ex Disciplinis Geographi-
cæ proferre possemus, sed cum potius
in palæstraphysica, quam Geographica simus
constituti, non enim cum Timptero Geogra-
phiam partem Physicæ constituyente, facere
possumus, brevissimè de Divisione Terræ
quantum quidem instituti nostri ratio pati-
tur, agemus. Observandum tamen hic est
Terram Divisionis per oppositas differentias
essentiales expertè esse, cum sit corpus homo-
geneum & Elementum simplex. Qualitatem
autem situm ac incolas ejus si consideremus,
variè eam distingvi certum est. Qualitatis
ratione, rara vel densa, mollis vel dura, are-
nosa vel lutosa, alba vel nigra est. Quoad
situm, & in resp: ad Zodiacum, in 5. Zo-
nas dividitur: Torridam sc. unam, quæ est
spatium inter duos Tropicos conclusum.
Temperatas duas: septentrionalem scilicet,
quæ Tropico æstivo, cancri scilicet & polo
arctico interjacet; & Meridionalem, quæ Tro-
pico hiberno, sive Capricorni, & polari an-
tarctico terminatur. Et in frigidas itidem duas:
unam Borealem, quæ est spatium inter po-
larem arcticum usque Polum: alteram Au-
stralè, circulo scilicet Antarcticò comprehen-
sam. Plagas denique mundi quod concer-
nit, in orientalem, occidentalem, meridiona-
lem ac Septentrionalem distingvere Terram
sive-

iveverunt. Deo Terræ & omnium quæ ex
illa constant, conditori ac sospitatori sit laus,
honor & gloria in sæculorum sæcula, A.

**Problemata naturalia ipsius Terræ
naturam concernentia.:**

1. *Terram ante horrendam protoplastorum
nostrorum ἀποστρίαν spinas & tribulos
produxisse, non sine ratione statuitur.*
2. *Terra multò majori ubertate res non ar-
te, sed natura sibi insertas producit.*
3. *Quod Paradisus Terrestris etiamnum ho-
die in rerum natura existet, neque S: Sæ
neque sensuum judicio probabile est.*
4. *Terram omni prorsus sensu & animâ de-
stitui, solidis rationum momentis evin-
citur.*
5. *Non inconvenientèr universus Terrarum
orbis in tres insulas seu magnas partes
dispersi posse videtur.*
6. *Non omnem Terram producere omnia in
propatulo est.*

Ad eximium & doctissimum

DN. NICOLAUM RHYDELIUM
W-Gothum,

Dissertationem hanc eruditam, proprio
Marte, doctè *de Terra*, conscriptam evul-
gantem, amicū suum singulariter
dilectum:

*S*ua stant Musis certissima pramia doctis,
Quis ea RHYDELIUM non meruisse
putet?

*Qui studiis tantum pergit clarescere, quan-
tum*

*Viribus ingenii mens studiosa valet;
Ergo tibi tantas compenset diva Minerva
In studiis curas, laudis honore, precor.*

hæc pauca plurib. impeditus,
subitò sed gratulabundus
scripsit.

JOHANNES FLACHSENIUS
Math. prof. p. & h. t.
Fac. Phil. Dec.

VIRO

VIRO JUVENI

*Politoris literatura Morumque commodissi-
morum culturâ ornatissimo,*

DN. NICOLAO RHYDELIO,
DE TERRA, proprio Marte solertèr
differenti, Amico & Commiliti
adamando:

Filius est Terræ, plebejo sanguine natus,
Olim ceu dixit mellissius Cicero.
*Ast eâdem, cuncti, generis cunabula habemus:
Noster enim è Terrâ est ortus, origo
vetus.*

*In Terram demum rursusque resolvimur
omnes,*

*Immiti cum Mors, corpora falce metit.
Selegeras tibi Materiam mi doctè Rydbeli
Raram, ut pertentes egregium ingenium.
Gratulor Ergò tibi de grandibus ausibus
hisce !*

Opto ut flet velis aura secunda tuis!

Dab. Aboæ ipso die
Medardi Anni
1682.

*Quamvis subitariâ curâ,
L. tamen Mq̄, congra-
tulabar*

SIMON Følpo
Met. & Log. Prof. Ord.

Ὀυδερμία σπαρδή Φυσικῆς μεθ' πέποσεν ἔτη
 Εὐδοκιμώλειρη, ἢ μεγαλειοπέρη,
 ἢ εὐχρηστοίερη· ἐπεὶ ἔν πάμπλλα διδάσκει,
 Ὀυρανοῦ ἀσῆρας, ζωδιακὸν τε κύκλον,
 καὶ πάσας βοῶνας τὰς Φυόμενας γ' ἔπι
 γαίης,

Ἐἴπερ ἐρευνάων τῶν βοῶνῶν ἀρέας,
 Γνωρίζει γενικῶς τέχνας, παμφίλτα δ' ἀδελφεὸς
 Ἐκ νέεσ ἐργάζετ' ἠδὲ ἐλευθερίας.
 Τῶσδ' ἰσοδεικνύει ἔπιλεκτῆσ δεάλεξις,
 ἢν ὡεὶ τῆσ γαίης ἔγραφεσ αὐτομάτως.
 Συγχαίρω λοιπὸν σοὶ τῶν πειρῶν ἐπιλέκτων!
 Τὸν Θεὸν ἀξιόων ὥσε καὶ εὐλογέειν
 Σφωιτέρας σπαρδὰσ πανυπερτάτεσ ἐκ μὲν
 ὀλύμπου,
 εἰσ θέην δόξαν, γηθοσύνην γονέων!

φιλομαθεσάτω καὶ πολυδιδάκτω
 Κυρίω, τῶ Νικολάω Ρυθη-
 λιώ, Φίλω συμπαιριώτη
 τὲ μάλισσ πμίω συγχαί-
 ρων ἔγραψε

S. R. M. Alumnus
 ANDREAS E. HÅF.